

## 90 In Hipp. de Aëre, Aquis, & Locis.

hæc magis refert: tertia etiam potest addi, & est quod mistio est ex duobus bonis. In consuetis etiam accedit quarta. Sed de duobus vinis est valde malum, & quanto plura fuerint. Ut Epidaurij qui ob vestigal quod Turcae persoluunt quotidie vina mutant: cum tota ciuitas ex eodem vino bibere cogatur.

Hoc igitur supposito, videtur principium omnium morborum, aut ventriculus, aut iecur, aut renes: nam vesica non potest esse principium nisi stolidicij & lapidis, non doloris coxendicis, aut renum aut herniæ. Sed iecori cum hernia nil ferme commune est, videtur ergo alterum duorum, aut vt lœsi fiat in renibus aut in neruoso genere, scilicet in ventriculo, vt communicat partibus illis. Et hoc etiam de renibus videretur sufficere, nisi esset quod adiectum est de hernia: & non dixit etiam de quo genere illius cum tot sint, aut igitur intelligit de graviori aut generaliori, & ita est enterocele quamvis varicosa & carnosa, scilicet sarcocèle difficilius sanetur, aut quodd omnes proueniant ab eadem causa, & ita intelligat de genere earum: aut quoniam ad unam reliqua sequantur. Et videntur hæc omnino ex sequentibus potius deducenda quam certa ratione cum difficillima sit. Dicit enim post: (Text. 25.) Quod autem non omnibus (scilicet eadem euariant) consequenter declarabo. Quorum quidem alius satis fluida est, ac sana & vesica non ardens, neque stomachus vesicæ valde coardescit, hi facile vrinam deiiciunt, & nihil in vesica eis congregatur. Vnde patet ipsum intelligere de lapi de vesicæ & comparatione ventriculi ad membra sub eo quæ afficiuntur: dico vesicam & renes & didymum ac scrotum. Et de vesica causa est: si enim impura vrina eo deriuatur & ardens fit lapis in vesica: si autem ardens & non crassa nec lenta, aut lenita vel crassa, sed non ardens fit difficultas vrinæ absque lapide. Et si fuerit lenta & crassa, sed non vrens, erit difficultas vrinæ, sed absque dolore, si vrens non lenta nec crassa erit dolor, difficultas autem meiendi parua. Ex quo patet quod lapis cum conficiatur ex utraque causa adducit etiam difficultatem meiendi & dolorem. Et si adsit crassities sine lentore fiunt arena non lapis. Causa enim lapidis est maximè lensor inde crassities aut calor vehemens, nam etsi desit calor etiam potest generari lapis à frigiditate ob vesicæ imbecillitatem, sicut videmus in alueis aquarum frigidarum. Similiter patet causa doloris renum, nam iuuenibus & adultis conuertuntur hæ materiæ in renibus in lapidem & arenam ob vehementiam caloris, etiam quod mora non adsit: quia loca ibi sunt angusta: vesica autem non cogit lapidem ob robur muscularum eam comprimentum: vnde exprimere in mihi vesicam validè (quod etiam alias dixi) securos nos reddit à lapidis generatione. Superest vt dicamus de causa generationis herniæ, an sit ex intestinis, an in vasis seminariis, an in inani. Et de enterocele causa est potius in flatu comprimenti intestina inferius: vt in clamoribus & inflatione cornuum: sed hic

motus est voluntarius, & fit à valida compressione muscularum ventris & septi transuersi: idem de epiploce: sed nullus cibus aut potus potest esse causa huiusmodi compressionis: ergo nullus potus potest hac ratione facere herniam: nam neque flatus ipse interiectus inter interstina & septem transuersum: vehementem enim faceret dolorem, at herniæ adueniunt sine dolore, vt experientia docemur, atque adeò vt incaute nos aggrediantur. Multo minus hæc potest esse causa rupturæ dydimi, cum illa fiat ex casu potius, ex vehementi clamore, ex pondere eleuatione. Simul etiam verba illa esent interpretanda, stomachus vesicæ, coardescit: sed hæc suo loco cum erunt declarata, non est vt hic laboremus. Sicut neque cur coxendicis dolor, nam planum est ex renibus ad coxendices deuenire venas & arterias, & ob propinquitatem etiam maximum esse consensum renum & coxendicum, dextri ad dextrum, sinistri ad sinistrum. Ut & à Vesalio in tertio libro delineatae sunt, (Fig. sexti cap. littera e, & 12. cap. o.) venæ quidem & arteriæ. Arteria enim ad coxendicem veniens, propago est exterior interioris rami post diuisionem arteriæ magnæ descendantis, (literis vtrinque iuxta truncum in magnis ramis n & θ.) cum ad renes perueniat multo altius ex magnis ramis à nondum diuiso trunco. Et de vena quidem clarissimus agit his verbis: Præter hos ramos unus etiam articulum coxendicis accedit proprio sinu coxendicis ossis acetabulum priuatim subitus. Et ibi in margine ad literam n est ad adiectum. Ad regionem ei, opparet igitur consensus specialis. Generalis autem etiam adeò in omnibus membris propinquis: vel solum simplex: vt cum dente dolente os etiam mandibula, id est partes illi adiacentes dolent: licet nulla materia transfusa. Est & tertia ratio sumpta ab Hippocrate (cap. 9. pag. 4. post med.) cum materiæ permeant per totum corpus, cum totum sit conspirabile inuicem, licet etiam non per vasa. Verum id potissimum accidere liquet ob attractionem ex similitudine factam, membra enim nernea, vt inquit Galenus, (2. Aphor. 1) ex lentis & frigidis humoribus nutriuntur. Sed reuertor ad herniam, verisimile est bifariam ex hoc potu aquarum illam contingere, & ex duorum generum, altero scilicet hydrocelem & enterocelem, nam serosum illud in sanguine cum fuerit cum qualitatibus, vt non superetur & sit corruptum, tunc efficit hydrocelem, si fuerit locus angustus & materia plurima, si autem pauca & locus latus laxat peritoneum & fluunt intestina aut omentum: & ideo est species aquæ intercutis, sed non vitio iecoris factæ, & in hoc differt ab aqua intercuta: quia in illa causa & vitium est in agente, id est in iecore, & non in potu, in hac autem est in potu non in agente seu iecore. Conueniunt autem in tribus: quia in aqua intercuta, & hydrocele non est superatus ille ichor à calore naturali, & est corrupta substantia per calorem non naturalem, & ex his duobus sequitur, vt à renibus non trahatur. In aqua ergo intercuta vel retine-